



Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statu Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. I. De Europae & Italiae statu praesenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108



DE STATV
RELIGIONIS
CHRISTIANÆ

PER EVROPAM,

L I B E R I.

DE EVROPAE ET ITALIAE
statu præsenti.

C A P V T I.



Vropa Asiam, Africam &
Orbem Nouum non qui-
dem magnitudine, (sunt e-
nim hæ regiones longè ampliores) sed Religione
Christiana, Regnorum po-
tentia, incolarum virtute,
ac moribus, urbium frequentia, rerum o-
mnium abundantia, cœli solique temperie,
multis partibus superat.

A

Inter

2 DE STATV RELIG.CHRIST.

Inter Europæ regiones omnium nobilissima est Italia, olim Imperatorum, nunc orbis vniuersi Pontificum sedes.

Olim Romanis paruit vniuersa, nunc in varias dynastias est discerpta. Inter eos, sub quorum ditione nostro est æuo, principem locum obtinet, *Pontifex Romanus*, *Rex Neapolitanus*, *Princeps Pedemontanus*, *Duces Mediolanensis*, *Etruscus*, *Matiuanus*, *Mutinensis*, & *Parmensis*, *Respublicæ item liberæ*, *Veneta*, *Genuensis*, & *Lucensis*.

Inter omnes Italiae dynastas potentissimus est *Rex Catholicus*, qui præter Ducatum Mediolanensem, possidet Regnum Neapolitanum, Siciliam insuper ac Sardiniam, insulas regio pariter titulo nobiles ac potentes; magno haud dubiè vniuersæ Italiae bono, quæ altam illam pacem, quæ fruitur tot inter Principum factiones, Regi in primis Catholico debet.

Ceterùm Christi nomen, mox inde ab eiusdem passione Tiberio Cæsari (eo enim regnante Crucis supplicio affectus est) in Italiam innotuisse, Tertullianus Apologeticus aduersus gentes testatur: *Tiberius*, inquit, *cuius tempore nomen Christianum in seculum introiuit, annunciatum fibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem ipsius diuinitatis reuelaverat, detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatus quia non in se probauerat, respuit.*

spuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Consulte commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, tum maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferociusse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi aliquod bonum grande à Nerone datum.

Itaque Tiberius Imp. de Christo, pro Deo ab omnibus habendo, primus ad Senatum retulit: & talis etiam Romæ mox habitus est, vel inuito Senatu.

Porrò ex illo damnatorum Romæ à Nerone numero fuit Sanctus Petrus, Apostolorum princeps: ut Lactantius, Epi-
phanius, Hieronymus, &
alij narrant.

